



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 56. in crudeles.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

pitis, nè rhomphæam & fulmina arripiat Deus; errantibus non parcitis, ut in tempore & in æternum parcat Deus. arripite disciplinam (si enim extra disciplinam sunt filij vestri, non legitimi, sed adulteri à Doctore gentium pronunciantur) arripite disciplinam, nè

Hebr. 12.  
v. 8.

quando irascatur Dominus, & unà cum prolibus vestris pereatis de via justa in die perditionis & interitûs sempiterni.

\* \* \*



## PHILIPPICA LVI.

In crudeles,  
DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

*Tenens suffocabat eum.* Matth. 18. v. 29.

S. I.  
Homo  
homini  
plusquam  
lupus.



Plautus in  
Afinaria.

S. Bernard  
serm. 29.  
artic. 1.  
tom. 2.

Heu quid homines sumus! belluis longè omnibus effratioribus cum in nos ipsos mutuo exardescimus. dixit proverbialiter Plautus: *homo homini lupus*, at parum dixit, non ita lupus furit in lupum, quam in hominem homo lupus lupum non comedit, ait S. Bernardin<sup>o</sup>, leo leoni parcat, omnes feræ crudeles alijs feris generis sui parcat, solus homo homini parcere nescit. sævit lupus Februario solum mense, at hominis ferocia nullo tempore circumscribitur, irascitur per dies singulos, horis omnibus facilis est agi in rabiem, prorumpere in tonitrua & fulmina, cœlum si fas terris commiscere. quod si lupus in eandem cum ovicula delabatur foveam, pacificè teste experientiâ in eodem carcere cum ovicula componitur, nec dentes in innocuum pecus stringit, licet eosdem fames internecina exacuat. an sic cum homine, si eadem premi contingat necessitate homo consvescit? satis superque id hodierna patet ex parabola, ex qua servum

ac servum in similem debitorum foveam prolapsos conspiciamus, at servum conservo plusquam lupum esse factum, inque fauces immaniter involasse audimus. sufficiat crudele hoc inhumanissimi servi exemplum ad execrandam improbrandamque hominum plerorumque ferociam, qui humanitatis omnis oblitus, in sævissimas abeunt feras, & dæmonibus ipsis immaniores evadunt, contra quos, si inhumanius quid dixerò, non meâ sed ipsorum accidet culpâ, qui nihil pænè, nudum præter nomen, in se retinent humanitatis.

*Tenens suffocabat eum.* multos servus iste nequam sibi simillimos habet, & sunt omnes ij, qui proximorum preces, querelas, excusationes nè audire quidem volunt, quin omnem justæ reconciliationis præscindunt facultatem. tales erant viri Dan, qui cum Michæ sustulissent sculpule, & omnia quæ possidebat, repetenti substantio- lam suam Michæ barbarè responderunt: *carvè nè ultra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipse cum omni domo tua pereas* Jud. 18. v. 25. at bene dicuntur viri

S. 2.  
Multos  
malus iste  
servus ha-  
bet similes

Apoc. 7. a  
v. 3.  
Gen. 49. v.  
17.

Plinius 1.  
8. c. 29.

viri isti è tribu Dan fuisse, quam tri-  
bum Joannes Apocalypticus inter  
electas non numerat, sed omnino  
memoriam illius præterit, quia vi-  
delicet cælo apti non sunt, qui sicut  
*coluber in via, cerastes in semita mor-  
dent ungulas equi, ut cadat ascensor  
ejus retrò.* quadrigemina Cerastes  
habet cornua simillima arietum,  
quibus cum equitem nequit attingere,  
equi calcaneum mordet, ita homines  
efferi, uno iracundiæ cornu non  
contenti quadruplicat malitiam suam,  
si que aliter rabiem effundere nequeant,  
vel ungulas jumentorum adversarij sui  
nefariè impetunt. Contribules hi omnes  
immaniissimi Antichristi sunt ex hac  
tribu nascituri, & priorum sævitiam  
tyrannorum septuplò excessuri,  
contribules, inquam, sunt, & simili  
olim pœna involvendi. æmulantur  
præterea servi hodierni nequitiam,  
quotquot defectus proximorum  
suorum exaggerant propalantque,  
cum iisdem, multoque gravioribus  
scateant, itaque centum denarios  
requirunt, cum ipsi centum talentorum  
millia debeant. risit aliquando præter  
morem Socrates, cum furciferum educi  
in malam crucem aspiceret, causamque  
rogatus, cur non commiserationis signa  
potius ederet, video inquit, à magnis  
latronibus, latrunculum educi ad  
suspendium, puniri que parvula  
sacrilegia, magna verò duci in triumphum.  
Non absimiliter captus pirata, & ab  
Alexandro magno increpitus (ut narrat  
D. Augustinus] cur mare tutum esse  
non sineret? respondit: quia tu orbem  
totum non finis esse tutum. & ego  
quidem, quia exiguo navigio mare turbo,  
voco latro, tu verò, quia magna classe,  
imperator, nimirum sicut à magnis  
piscibus devorantur minores, ita qui  
minùs mali sunt, à pessimis quibusque  
exagitantur, diffamantur, suffocantur.

Valerius  
Max. lib. 8.  
S. Augu-  
1. & c. 4. de  
civit.

Peiores adhuc sunt, qui fœnus  
injustum exigunt, cum juxta  
Catonis sententiã *sænerari sit homi-  
nem occidere, & juxta effatum D. Am-  
brosij usuram petere, suffocare sit,*  
peiores istis sunt, qui oneribus im-  
portabilibus premunt subditos, uti  
Pharao hebræos: agellum pratulimque  
vicinum pauperi non favent, cum  
millenis ipsi jugeribus abundant, ut  
Achab & Jezabel insidiati vineæ  
Naboth: bobus & ovibus & pecoribus  
suis plurimis parcunt, & oviculam  
viri pauperis unicam auferunt, ut  
convivium peregrino apparent, uti  
adultero Davidi objecit Nathan, at  
audiant hujusmodi tyranni regium  
Salamonis consilium, imò decretoriam  
irati Dei sententiã: *non facias violentiam  
pauperi quia pauper est, neque  
conteras egenum in porta, quia  
judicavit Dominus causam ejus, &  
configet eos, qui confixerunt animam  
ejus.* perijt Pharao in profundo  
aquarum, peribitis æternum vos in  
profundo flammarum: canibus in  
prædam cessit Jezabel, Avernalis  
vos in offam Cerberus præstolatur;  
judicium ipse sibi tulit David: *vi-  
vit Dominus, quoniam filius mortis  
est vir, qui fecit hoc, & fuisset  
omni nõ æternæ mortis filius David,  
nisi respuisset tempori, & singultibus  
lachrymisque calentissimis per noctes  
singulas, dièsque plurimos piaculum  
suum expiasset.*

Cicero 1.2  
offic.  
S. Ambros.  
1. de Tob.  
c. 14.

Proverb.  
22. v. 23.  
2. Reg. 12.  
v. 5.  
Dubrav. 1.  
23.

Quid jam de ijs dicam, qui hu-  
mani effusionem sanguinis pro lu-  
do & voluptate habent, nec eleganti-  
us ajunt esse speculum, quam si  
suam in aliorum effuso sanguine  
faciem contemplantur, video Hanni-  
balem ad fossam humano sanguine  
plenam contemplandum consistere,  
& crudeli cum voluptate exclamare:  
*ò formosum spectaculum!*  
video Volesum Africae sub Augusto  
Proconsulem ducentos quinquaginta  
Pp 3 ginta

ginta uno eodémque die eadémque securi percutere, & exclamare: *ò rem regiam!* video Vitellium campos occisorum in prælio civium cadaveribus stratos inequitare, defluúmque olfacere tabum & exclamare: *optimè olet occisus hostis, & magis civis.* Video Ezelinum barbaro potius, quàm Italico solo dignum carnificem duodecim millia Patavinorum civium uno omnes loco compellere, & ad unum trucidare. video Romæ Caligulam exerto gladio vibrare ietum & vovere: *ò si totius Romani Senatûs populique jugulum in tu unico conficere liceat!* video Prægæ Wenceslaum Bohemiæ Regem & Romanorum Imperatorem triurbem inequitare eodémque secum equo carnificem compatrem suum devehere, & vel à tergo vel à latere comitem assiduum circumducere spretâ illâ minitantis Numinis acrimoniâ: *interficiam interfectores* Ezechiel. 25. video denique orbem totum crudeli sanguinis cataclysmo inundare, nec hospitem ab hospite nec fratrem à fratre, nec patrem tutum à filio, quæ est ista, proh superi inferique ferocia, & plusquam belluina immanitas? Eliam à corvo pastum, à Jezabele autem ad inter necionem quæsitum considerans S. Cyprianus tract. de Orat. Dominica exclamat: o humanæ malitiæ detestanda crudelitas! feræ parant, aves pascunt, & homines infidiantur, & sæviunt.

Dubrav. l.  
23.

§. 3.  
Homo  
belluis &  
dæmone  
immanior

Non sævit bestia in propriam speciem, nisi extremâ ferè fame stimulante, sævit in consanguineum homo necessitate prorsus nullâ, sed solâ nocendi libidine instigante. non tam ferociter sævit bestia, cum sola est & motu proprio agitur, quàm cum ab homine præfente incitatur, an non intolerabilius hominis quàm belluæ ferocia, est? non Sultano solummodò Otto-

mannorum tyranno, sed Christianis plurimis ea convenit inscriptio per quadrigeminum Beta indicata: *Bellua Belluarum Belluatim Belluans.* Præstat non rarò habitare Christi exemplo cum bestiis, quàm cum hominibus; præstat Ignatij Martyris ex voto cum quadrupedibus quàm bipedibus pugnare leopardis. Malim ego in medios incidere leones cum Daniele, in ventrem ceti abijci cum Jona, imò in potestatem adversarij tartarei cum Jobo servata duntaxat animâ tradidam, quàm impiorum hominum voluntati & tyrannidi mancipari, non sævit dæmon in dæmonem, sed neque dæmonita in hominem, ut homo in consanguineum exardescit. Rogat Christum integra dæmonum legio: si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum Matth. 8. v. 31. cur Spiritus imundi ad bruta gravitantiâ malunt divertere, quàm alios homines occupandos & proscelerum meritis multandos postulare? respondet Abulensis: *ideo non petierunt ut in homines mitterentur, quia illum, cujus virtute torquebantur, humanam speciem gestare videbant.* quia hominem & quidem humanissimum rogabant, contra hominem nihil petere præsumebant, quasi nec in efferatissimorum dæmonum intellectum cadat, ut cogitare ausint, posse hominem homini incommodare. parcit dæmon homini & porcos impetit, parcit homo porco, & hominem invadit, ita ut fatius sit (quod August. dixisse dicitur) Herodis alicujus porcum esse, quàm filium.

Proh quanta nostra erit in hora vitæ novissima, & novissimo mundi die confusio cum adversus ferociam nostram non modo dæmones, sed rationis & mansuetudinis expertes creaturæ stabunt, accusabunt, condemnabuntque. Certè sed

Abulensia  
c. 8.  
Matth. 129.

Didac.  
Nyl. Dom.  
21.  
Pent. §. 4.

§. 4.  
Crudeles  
non sunt  
longavi

non æterna duntaxat salute, sed & temporali ævo indignissimi sumus, nisi comitate feras vincere, & feritate positâ misereri potius quàm irasci, ignoscere quàm ulcisci, prodesse quàm nocere velimus. Et hinc est, quòd ut Thales teste Laërtio dixit, difficile sit videre tyrannum senem. Reges consenescent, inquit Seneca lib. I. de clement. liberisque ac nepotibus tradunt regna, tyrannorum (& omnium immisereticordium) execrabilis ac brevis potestas est. quocirca Phalaris tyrannus dicere solebat: *ego qui expertus utrumque sum, tyranniâ malim subesse, quàm præesse. subditus enim aliorum malorum securus unum tyrannum metuit: tyrannus autem & eos, qui foris insidiantur, & illos per quos servatur.* ita Stobæus serm. 47. Quidam tyrannicidam optans, Bruti statuæ subscripsit: *utinam viveres!* quòd operâ Bruti Tarquinius ex urbe pulsus esset. Cæsaris autem statuæ hos versus apposuit.

Brutus quia reges ejecit, primus consul factus est:

Hic quia consules ejecit, rex postremus factus est.

Nec multò post (post triennium) Cæsar viginti tribus vulneribus in curia confossus est. Cyrus à capta Babylone triennium duntaxat imperavit. capto enim à Tomyri Scytharum Regina caput amputatum, & in culeum sanguine plenum projectum est cum salsa hac voce: *satia te Cyre sanguine, quem tantopere sitisti.* Alexander Magnus sexennio post cæsus Darius superfuit. Julianus Apostata post biennium imperij celesti telo confossus interit. Anastasio Imperatori deletis quatuordecim vitæ annis excussum coelitus fulmen viam in tartara præparavit.

§. 5. Si ergo vitam diligimus, & di-  
Oppres- es bonos videre cupimus, non tan-

tum cane & angue, sed morte & inferno pejus omnem feritatem, eam præsertim, quâ pauperes iniquissimè opprimuntur, exuguntur, suffocantur, omni studio fugiamus. nihil enim iram Dei æquè præcipitat, quàm oppressio egenorum. *propter miseriam, inopiam, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus, ps. II. v. 6. stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandum populos. Dominus ad judicandum veniet Is. 3. v. 13. timete* quicumque pauperes injuriâ afficitis (Chryostomum recito) habetis vos potentiâ, opes, & pecuniam, & judicium benevolentiam, sed habent illi arma omnium validissima, luctus & ejulatus, & illud ipsum injuriâ affici, quæ è coelis auxilium attrahunt, hæc arma domus effodiunt, hæc fundamenta evertunt, hæc integras gentes submergunt. gemitus dico eorum, qui injuriâ afficiuntur. magna est vis hujus ejulatus, quæ supernum evocat auxilium. sunt expilatores pauperum, ex sententia Drogonis Ostiensis, similibi ijs carnificibus, qui exuentes Iesum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextra ejus Matth. 24. v. 28. toties Iesus denudò exuitur, quoties pauper opprimitur & spoliatur. chlamys coccinea est vestimentum mixtum sanguine, illo videlicet sanguine, qui pauperibus viduis, pupillis, & quibusque afflictis exprimitur *per crudelem sanguinolentiam.* Coronam de spinis Salvatori imponunt, qui de rapina pauperum *spinosas divitias sibi coacervant.* & hi arundinem ponunt in dextera, dum ad incitas & mendicitatis baculum redactum proximum suum irident in super & exhibent. Contra hos fulminat Deus: *pro eo quòd diripiebatis pauperem, & præadam tollebatis ab eo, domos*

fores pauperum coronant Christum spinis.

Drag. Ost. l. r. de Sacram. pass.

Amos 5. v. 11.

mos

mos quadro lapide edificabitur, & non habitabit in eis. vineas plantabitur amantissimas, & non bibetis vinum earum. in quæ Cyrillus: diripiebatur pauperem, ut ab eo tolleretur, qui victui necessaria vix habebat, & quid quid pretiosum videbatur & pulchrum, vestris usibus tradebatur. & homines spoliastis, ut ades vestiretis marmoribus. Quas quia edificastis de rapinis, & non solum mansioni & tecto, quod exigit humana fragilitas, sed pulchritudini & delicijs preparastis, repentinam captivitatem, vel morte subtracti, non habitabit in eis. Habitabunt

autem cum igne devorante, cum arboribus sempiternis, denudati omni decore & solatio, amicti pudore sicut vestimento, involuti flammaram incendio, igneis coronati spinis, & non arundine sed scorpionibus, sed fulminibus, sed gladio igneo percutiendi. Judicium enim sine misericordia his, qui conservis suis misericordiam cum hodierno servo nequam facere noluerunt.

\* \* \*  
\* \* \*



## PHILIPPICA LVII.

In Detractores.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

*Abeuntes Pharisei consilium iniierunt, ut caperent Jesum in sermone. Matth. 22. v. 15.*

§. I.  
Detractores  
hodiernis  
Phariseis  
similes.



Quot hodieque Phariseorum discipuli & Herodiani sunt, qui ut proximum suum in sermone capiant, ut diminuendi boni nominis occasionem arripiant, nescio quod abeunt ad consilium nequam ineundum. Abeuntes Pharisei quod abierunt? extra salutis semitam, extra charitatis orbitam, extra regiam justitiæ viam. quo abierunt? à Iesu qui est Via, veritas, vita, quod abirent nisi in devium, in labyrinthum & mendacium, in vitiorum circulum, in mortis & damnationis barathrum. huc huc properant, quotquot Phariseorum frequentant curiam, curiosè accurrantes, quâ viâ & methodo bonum proximorum nomen, quod est divitijs multis melius, diminuere, ca-

villari, calumniari, & grandi infamiæ notâ configere valeant: si que capere non possint in opere, capiunt in sermone, & ut habet græcus codex, illaqueunt in verbis suis. Pharisei quod abierunt? interrogat Orator aureus homil. 42. in Imperfecto, & respondet: *ad Herodianos, qui in diaboli iniquitatibus ambulabant, diaboli adiutorium necessarium habent.* Herodianis associare se non verentur detractores Pharisei, ut quod Herodes gladio, hoc ipsi linguâ sua efficiant, trucident scilicet innocentes, obtruncant gratiarum filios Iohannes, illudant ipsimet Regi gloriæ, vitæque auctori. Herodiani eâ tempestate erant tributorum Cæsareorum exactores, ut docent D. Hieronymus cum Origene, Albertus Magnus cum Thoma Aquinate, cum Paschasio & Cyrillo Alex. Eusebi-